

R A R I O R E S .

79

niuntur in Romanorum Lucernis, quarum unam Petrus Sanctes Bartolus profert Part. I. Tab. 37. Pavimentum antiquum musivo opere elaboratum, & ad Villam Corfinam prope S. Pancratii ædem detectum, ubi saltatores non absimiles apparent, eleganter delineatum, Tabula xxxviii. Petrus idem Sanctes Bartoli exponit.

T A B U L A V I .

F I G . I .

HERACLIDES TARENTINUS.

In Achate.

IN hoc trium colorum Achate sedentis juvenis imago est insculpta volumen lectitantis, & ex adverso Hermam habet, cujus facies Platonis esse videtur: lectorem autem ipsum Heraclidem Tarentinum esse opinatus est Ficoronus; siquidem persimilis effigies illi est, quam affert Grævius ^a. Hac autem rerum imagine, ac specie Heraclidem in Platoniorum Scriptorum lectione diligenter fuisse versatum significare artifex fortasse voluit.

FIG.

^a Tom. 2. Part. 2. Tab. Antiq. Græc.